

eadem nocte est intelligenda. Ad hoc vero responderi potest ex Aloysio supra, illud Phase, de quo ibi loquitur Moyses, non esse agnum paschalem, sed sacrificium aliud, quod singulis diebus azymorum offerri præcipiebatur ad vesperam in gratiarum actionem et memoriam beneficii suscepti liberationis de Ægypto, quod sane videtur valde verisimile ex ipso textu, nam statim dicitur: *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus et de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habilet nomen ejus ibi*; nam agnus paschalis non erat offerendus de bobus, et tamen illud Phase dicitur immolandum de bobus. Item agnus paschalis non necessario erat in templo immolandum, sed in privatis domibus; hoc vero Phase tantum in templo. Item agnus non coctus, sed assus comedebatur; de hoc autem dicitur: *Coques et comedes in loco, quem elegerit Dominus*. Tandem agnus præceptus est offerri in memoriam transitus Angeli percutientis, et non egressionis de Ægypto; hoc vero phase immolari præcipitur in memoriam egressus de Ægypto. Unde multi ex hoc loco Deut. 16, colligunt, nomen, Phase, non tantum agnum, sed etiam alia sacrificia paschalia significare, et juxta illum interpretantur alium Joan., c. 13: *Ut non contaminentur, sed ut manducarent Pascha*. Toletus, Joan. 13, annotat. 3 et 5. Idemque secuti sumus dicto priori tomo, disput. 40, sect. 2, cum August., q. 24 in Deuter. Respondetur, negari non posse, quin hoc loco aliquid aliud præter paschalem agnum significatum sit, ut argumenta probant, August. etiam teste citato loco; tamen non propterea negandum est, ibi etiam esse sermonem de agno paschali, quod significavit August. dicens, boves ibi commemoratos esse propter alia sacrificia illorum dierum, significans oves esse positas propter agnum paschalem. Et conjectura esse potest, quia, cum ibi fiat quædam commemoratio totius solemnitatis paschalis, non est probabile, prætermissum fuisse solemne illorum dierum sacrificium; recte ergo intelligi potest, in prioribus verbis: *Observa mensem novarum frugum, ut facias Phase*, sermonem esse de agno paschali; in sequentibus autem verbis: *Immolabisque Phase*, adjungi aliud Phase illorum paschali sacrificiorum, vel certe in toto capite in communi sumi, ut comprehendit utrumque. Quod potest satis confirmari ex verbis illis: *Et non remanebit de carnibus ejus, quod immolatum est vespere in die primo, usque mane*; quod singulariter dictum est de

agno Exod. 12, de aliis autem sacrificiis hoc non legitur Num. 28, aut Levit. 23; et ideo addita videntur illa verba, ut non de quocumque Phase, sed de illo, quod immolabatur vespere primi diei azymorum, intelligantur; illud autem erat agnus paschalis. Præterea subditur ibidem: *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, sed in loco quem elegerit Dominus*, etc. Ex quo omnes colligunt, sacrificium agni paschalis non potuisse extra Hierusalem offerri; id enim et in Evangelio indicatur, et ex traditione et consuetudine Hebræorum constat, et docent Ribera, et Tolet. supra, et Jans., c. 129 Concordiæ, et omnes; nullus est autem locus in Testamento veteri, ubi hoc præcipiatur, nisi in præsentem; ergo illud præceptum Deut. 16, comprehendit paschalem agnum. Et ideo etiam utitur Scriptura illo verbo, *Coques*, quod generale est ex vi suæ significationis, sive res solo igne assa sit, sive aqua cocta. Ac denique propter eandem causam generalis ratio redditur ex beneficio recepto liberationis ab Ægypto; quo modo dixit D. Thomas, 1. 2, quæst. 100, art. 5, ad 2, celebrationem Phase fuisse propter beneficium præteritæ liberationis ex Ægypto. Idem quæst. 102, art. 4, ad 10, et art. 5, ad 2. Quocirca licet rationes prius factæ ostendant, illud Phase alia sacrificia præter agnum paschalem comprehendere, non tamen probant non esse etiam ibi sermonem de agno paschali. Et hoc satis est ad vim argumenti facti, nam priora verba sine dubio intelliguntur potissimum de agno paschali, et consequenter de ipsamet nocte, in qua, et primum immolatus est, et populus ex Ægypto liberatus. Quarto hoc ipsum confirmatur ex illis verbis ejusdem Exod. 12: *Nec remanebit quicquam ex eo usque mane*, adjuncta observatione Abulens., Lev. 23, q. 6, et Deut. 16, q. 4, ideo hoc illis fuisse præceptum, ut significaretur, eos magna festinatione mane fore exituros. Quod significavit Joseph., lib. 2 Antiquit., cap. 5, dicens: *Peracta cæna reliquias carniū excusserunt tanquam exituri*. Quinto addere possumus illud Num. 33: *Profecti de Ramesse in mense primo, in quinta decima die, altera die a Phase*. Ubi dies significat mane illud insequens noctem Phase, ad eum modum, quo Joan. dixit c. 13: *Ante diem festum Paschæ*. Sexto tandem ita historiam hanc intellexerunt Hier., Ose. 3; Beda, lib. de Temporum ratione, c. 61; et Abulens. supra, et omnes expositores in Exodum; et significat D. Thom. 1. 2, q. 102, art. 5, ad 2.

22. Ex quibus auctoribus et ex testimoniis adductis, colligimus, filios Israel egressos fuisse de Ægypto, noctu quidem, ut aperte dicit Scriptura, non tamen in initio noctis, sed potius prope tempus matutinum, ita ut hac ratione dici etiam possint egressi matutino tempore, seu mane diei 15, ut loquuntur etiam prædicti Patres. Et ideo nihil etiam contra hoc obstat præceptum illud: *Nullus vestrum egredietur ostium domus suæ usque mane*, Exod. 12, tum quia proprie dici possunt mane exiisse, quia prope diem exierunt; tum etiam, quia recte exponitur, eis fuisse præceptum, ut non exirent, donec transacta media nocte, prope mane, Deo ita disponente, vocarentur et exire compellerentur, ut significat Rupert., lib. 2 de Trinit., cap. 18; Cajet. et alii expositores in Exod. Majorem difficultatem habent illa verba Deut.: *Immolabis Phase ad solis occasum, quando egressus de Ægypto*. Sed hæc per priora sunt interpretanda, nam quod prius dictum fuerat, *nocte*, postea comprehenditur sub solis occasu; nox enim ex occasu solis perficitur, eo vel maxime, quod adverbium illud, *quando*, non oportet, ut determinate designet eandem horam, sed eandem noctem, quæ a vespertino tempore recoli et honorari incipiebat, ac si nunc diceremus venerari nos vesperam resurrectionis, quando Christus resurrexit; atque ita satisfactum est ad omnia testimonia Scripturæ, quæ in illo fundamento adducuntur. Testimonium autem Josephi jam est a nobis expositum in citat. loco præcedentis tomi; nam verba græca non habent: *Illucescente*, seu, appetente decima quarta die, quæ verba inchoationem diei significant, sed, adstante, aut potius, cum venisset decima quarta dies, quæ verba nihil veritati obstant, quia, quod fit in fine cujuscumque diei, recte dicitur factum esse postquam dies ille advenit, seu existente tali die. Atque eodem modo corrigendum est, quod ex Zonara in chronico idem auctor adducit, quod dicat filios Israel egressos esse de Ægypto, 15 die, oriente luna, quæ eo tempore, scilicet in plenilunio, in principio noctis oritur. Non enim ita vertendum esset, sed decimo quinto lunari, sic enim ait: *Πέμπτη και δεκάτη κατά σελήνην*, id est quinta decima secundum lunam, id est secundum lunarem dierum computationem, vel, si quis interpretetur, secundum lunam, id est, illuminante luna, non est necesse intelligi de ortu lunæ; sed de toto tempore noctis, quo luna lucet, præsertim in plenilunio. Ad conjecturam vero

ultimam respondetur, non fuisse necessarium integrum diem, ut post esum agni, et Ægyptiorum clamorem et vehementem commotionem ob primogenitorum interfectionem, congregarentur in Ramesse, quia, admonitione et providentia Moysis, ante finem decimæ quartæ lunæ omnes jam erant congregati in Ramesse, ibique per sodalitia distributi, quod significavit Joseph., lib. 2 Antiq., c. 5, dicens: *Ille vero (id est, Moyses) instructos prius ad profectionem et per sodalitia distributos in uno loco continebat*. Loquitur autem de proximis diebus ante decimam quartam lunam. Si ergo hoc verum est, facile intelligitur, statim sine ulla mora potuisse omnes egredi eadem nocte, summo mane, ex eodem loco. Imo significat ibidem Joseph., tunc etiam Ægyptios dona dedisse Hebræis: *Donis*, inquit, *Hebræos honorabant, alii quo celerius discederent, alii propter vicinitatis consuetudinem*. Unde etiam tunc impleri potuit, quod de vasis aureis et argenteis Scriptura dicit, quanquam facilius videtur, quod August. dicit, quæst. 45 in Exodum, ante decimam quartam diem petiisse Hebræos ab Ægyptiis vasa aurea et argentea.

23. Alicui tamen fortasse hoc ultimum difficile creditu videbitur, scilicet, ante 14 diem congregasse Moysen omnes filios Israel in unum oppidum Ramesse; primo, quia licet Josephus significet id, tamen in hac re non cogimur illi credere, sicut in multis aliis, quæ hactenus adduximus, quæ suo tempore servabantur, quorum ipse poterat esse testis oculatus; hæc autem erat historia, quæ longe ante ejus tempora præcesserat, quam non potuit, nisi ex Scriptura elicere; in Scriptura autem nulla hujus rei mentio fit; imo, si attente legatur 12 cap. Exod., videtur significari oppositum in illis verbis: *Nullus vestrum egredietur ostium domus suæ usque mane*; quibus significatur usque ad esum agni omnes in propriis domibus permansisse, quod in sequentibus etiam sæpius significatur. Et saltem certum est, eos tunc non habitasse in tabernaculis vel tentoriis, sed in domibus. Unde Hieron., epist. 127 ad Fabiolam, dicit, filios Israel in Socoth, primum tetendisse tabernacula; non est autem verisimile, domos, quæ erant in Ramesse, tantam hominum et familiarum multitudinem capere potuisse. Ac denique difficile creditu est, Pharaonem et Ægyptios, qui egrediendi facultatem dare Hebræis nolebant, imo neque a laboribus et operibus eos vacare sinebant, permisisse, illos homines in locum unum congregari, ut vel discederent,



vel arma sumere tentarent; alterutrum enim facile timere poterant.

24. Propter has conjecturas (quamvis aliis fortasse modis expediri possint) probabile fit ante cœnam agni filios Israel non mutasse habitacula, neque aliquod publicum signum protectionis dedisse. Unde consequenter dicendum est (persistendo in responsione, quam prosequimur) non fuisse prius universum populum Israel in unum locum congregatum, ut inde iter inchoaret, sed statim 15 die illucescente, summo mane, cogentibus Ægyptiis, omnes e domibus suis fuisse egressos, et iter Socoth versus arripuisse, quia ita fuerant a Moyse præmoniti et præparati. Quod autem Num. 33 dicantur profecti de Ramesse, altero e duobus modis exponendum est, scilicet, vel ibi Ramesse non significare civitatem aliquam, sed regionem, quæ eadem erat cum terra Jessen, ut colligi potest ex Gen. 47, ubi prius dicitur, dixisse Pharaonem Joseph: *Terra Ægypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac eos habitare, et tribue eis terram Jessen*; et tamen infra subditur: *Joseph vero patri, et fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco Ramesse, ut præceperat Pharaon*; et postea subditur: *Habitavitque Israel in Ægypto in terra Jessen et possedit eam*; in quibus locis terra Jessen et Ramesse pro eadem regione accipi videntur; et in Exod. cap. 4, additur, filios Israel ædificasse urbes tabernaculorum Pharaoni Phiton et Ramesse; prius ergo videtur regio vocata Ramesse, et ab illa civitas postea ædificata nomen accepisse; non est ergo necesse in dicto loco Num. accipi pro civitate, sed pro regione. Vel certe, etiam si dicamus, Ramesse solum significare civitatem vel oppidum, quod ante adventum Hebræorum parvum erat in ea regione, et ab eis postea in civitatem ædificatum est, dici potest, Israeliticum populum fuisse profectum ex Ramesse, quia civitas illa, ut auctor est Hieronym., in extremis Ægypti finibus erat, et ita omnes statim illuc confluere cœperunt, ut ex Ægypto egredierentur, quod magis in sequente responsione declarabitur.

25. Ultimus ergo modus satisfaciendi omnibus difficultatibus esse potest, ut simpliciter concedamus priori sententiæ, populum Israel fuisse congregatum in Ramesse, ut inde simul exiret; id enim significat Scriptura et aperte confirmat Hieronym. dicta epist., mansione prima, his verbis: *Ad hanc urbem populus congregatus est, qui in desertum exire cupie-*

*bat*. Concedo etiam hanc populi congregationem factam esse post esum agni, propter conjecturas adductas. Unde dicendum est, cœptam esse noctu prope horam matutinam, perfectam vero post aliquot horas diei, ut prima etiam sententia concedit. Nihilominus tamen dicendum est, illum diem, in quo hæc congregatio facta est, non fuisse 14 lunam, sed 15; nam in initio lucis illius diei cœperunt exire de domibus suis et tendere in Ramesse; illuc autem congregati sunt ad meridiem, vel paulo post, ubi aliquantulum requieverunt, et primam mansionem fecerunt, ut Hieron. numerat; et postea ad occasum solis, priusquam decima quinta dies omnino absolveretur, egressus est populus de Ramesse; et hoc modo omnia sunt facilia, nec quicquam reperio, quod huic modo dicendi et describendi rem hanc repugnet. Unde fit liberationem, seu egressionem populi de Ægypto, computari posse, vel ab eo tempore, quo perturbatim Judæi exire cœperunt e domibus suis, compellentibus Ægyptiis; vel ab eo tempore, quo ordinate iter agere cœperunt; priori modo terminus a quo illius egressionis dicenda est terra Jessen seu Ægypti; posteriori autem modo dicitur fuisse Ramesse. Item priori modo propriissime dicuntur nocte egressi, posteriori vero propriissime ad occasum solis: utrumque autem factum est 15 die, quia nox illa, et vespera, ejusdem diei decimæ quintæ fuerunt. Ac tandem, quando liberatio populi ab Ægypto narratur in Scriptura ut maximum beneficium illi populo factum, propriissime dicitur noctu accidisse, quia tunc revera fieri cœpit, quando filii Israel cœperunt egredi e domibus suis et iter inchoare, non furtim et occulte, sed publice et libere, ipsis etiam Ægyptiis consentientibus, imo et cogentibus; quando vero narratur historia illius itineris, et mentiones filiorum Israel, et modus, quo egressi sunt de Ægypto per turmas suas, dicuntur egressi de Ramesse et ad occasum solis; et sic etiam propriissime intelligi potest illud Num. 33: *Altera die a Phase*, id est, ab immolatione agni paschalis, quia revera ante unum naturalem diem in fine 14 lune ad occasum solis fuerat immolatus. Atque hoc modo expediuntur facillime omnia testimonia, quæ in fundamento contrariæ sententiæ adducta sunt. Relinquitur ergo, Christum Dominum Eucharistiæ sacramentum instituisse hora noctis, inchoata jam 15 luna; superest, ut de hora, in qua institutum est, magis in particulari dicamus.

## SECTIO II.

An hoc sacramentum sit institutum, ante, vel post lotionem pedum.

1. Ut hæc res explicetur, supponendum est, Christum in illa nocte duplicem vel triplicem cœnam egisse cum discipulis suis. Prima fuit cœna agni, quæ potest dici legalis, vetus, seu figurativa. Secunda fuit communio hujus sacramenti, quæ potest dici cœna mystica et nova. Tertia cœna dici potest communis seu usualis, quas statim ex Evangeliiis comprobabo. Prius ergo, quam præsentis quæstioni respondeam, explicare oportet ordinem temporis, qui fuit inter lotionem pedum, et duas alias cœnas, legalem et usualem.

2. *Prima opinio. — Rejicitur. —* In qua re invenio, quinque posse esse dicendi modos. Primus est, Christum lavisse pedes discipulorum, ante inchoatam omnem cœnam, etiam legalem, et consequenter ante institutum hoc sacramentum, quia, ut infra probabimus, institutum fuit, peracta legali cœna; et videtur posse hoc colligi ex Joan. 13, ubi post lotionem pedum dicitur Christus recubuisse ad cœnandum, et dixisse postea illa verba: *Qui manducat mecum panem*, et postea dedisse Judæ panem intinctum, quod est signum, tunc durasse cœnam; deinde, quia Joannes ibidem dicit se recubuisse inter cœnandum super pectus Jesu; constat autem ex eodem loco, hoc factum fuisse post lotionem pedum. Hæc vero sententia mihi non probatur, quia idem Joannes eodem 13 c. expresse dicit: *Et cœna facta*, etc., ac postea describit lotionem pedum. Verum est, D. August. ibi, quem Peda, et D. Thom. ibidem sequuntur, exponere, cœna facta, id est, jam parata, et mensa structa, cibus appositus, et jam sedentibus omnibus, qui cœnaturi erant. Sed revera expositio est contra proprietatem et vim illius verbi, unde, cum nihil sit, quod nos cogat ad sic exponendum, persistendum est in proprietate litteræ, juxta communem regulam Augustini, quem non existimo nobis esse contrarium in hoc loco, sed vel non fuisse locutum de cœna legali, vel non intellexisse, cœnam nullo modo fuisse inchoatam, sed non fuisse omnino absolutam, quod constat ex eodem, tract. 55 in Joan., de quo etiam, quomodo sit intelligendum, statim dicam.

3. *Secunda opinio. — Improbatur. —* Secundus modus dicendi est, lotionem pedum factam esse, inchoata jam cœna legali, non-

dum vero finita, cui videtur favere illud verbum Joan.: *Surgit a cœna*. Sed neque hoc mihi placet, tum quia non est mihi verisimile, esum agni, quod erat sacramentum et sacrificium quoddam, interruptum esse per quandam actionem nihil ad illud pertinentem; tum præterea, quia Exod. 12, præceptum erat: *Et comedetis festinantes*, quod non servasset Christus, si in lavandis pedibus immoratus esset.

4. *Tertia opinio. — Refutatur. —* Tertius modus dicendi esse potest, Christum lavisse pedes discipulorum post finitam omnem cœnam. Quæ sententia sumitur ex Cypriano (si ipse est auctor libri de Cardinalibus Christi operibus), sermone de ablutione pedum, quatenus ibi dicit, Christum post institutum hoc sacramentum lavisse pedes discipulorum; imo etiam postquam Judas inde discesserat; discessit autem, finita jam cœna, vel in fine illius, ut ex c. 13 Joan. colligitur; et hanc etiam sententiam necesse est asserere eos, qui nihil distinguunt inter cœnam legalem et usualem, suppositis his, quæ contra primam et secundam sententiam dicta sunt. Sed hæc sententia nullo modo stare potest, quia non solum non habet fundamentum in Evangelio, nam illud verbum, *cœna facta*, satis intelligitur de cœna legali; sed etiam pugnat cum Evangelio, ex quo evidenter constant duo: primum est, adfuisse Judam, quando Christus lavit pedes discipulorum, ut constat ex illo verbo, quod Christus dixit, cum accederet ad lavandum Petrum: *Vos mundi estis, sed non omnes*, et addit Joan.: *Sciebat enim, quis traderet eum; propterea dixit, non estis mundi omnes*; aderat ergo Judas, nam ad præsentem loquitur, et ita omnes Patres in hoc consentiunt. Secundum est, post lotionem pedum iterum Christum recubuisse, et cœnasse cum discipulis suis, quod convincunt verba, quæ ex Joan. 13 ponderavimus in favorem primæ sententiæ. Unde hoc argumento convincimus, præter cœnam legalem, quæ antecessit lotionem pedum, egisse Dominum cœnam usualem post dictam lotionem. Neque enim dici potest, ea, quæ de cœna narrantur post lotionem pedum, pertinere tantum ad cœnam mysticam, seu institutionem hujus sacramenti. Primo quidem, quia, ut ex Luc. 22, colligitur, in illa posteriori cœna dixit Christus: *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*, quæ verba non possunt intelligi de sacramentali cœna, sed de usuali. Secundo, quia signum illud proditoris,



quod Christus dedit, Joan. c. 13 : *Cui intinctum panem porrexero*, datum est in posteriori illa cœna post lotionem pedum, cujus argumentum est, quia continuo exivit Judas, ut Joannes narrat; unde non potuisset adesse lotioni, nisi esset jam facta; ille autem panis intinctus non erat Eucharistiæ sacramentum, ut sequenti dubio ostendam, sed panis communis; ergo durabat tunc cœna vulgaris, et adhuc erat in cœna panis et jus, vel aliquid simile, quo posset intingi; ergo necessario concluditur, lotionem pedum factam esse, antequam esset omnino finita cœna usualis.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — Qui negant usualem cœnam, respondent, Christum dedisse Judæ buccellam intinctam, non quia tunc cœnarent, sed quia ex præterita legali cœna adhuc semper mensam erat panis et vinum, vel condimentum aliquod, in quo posset panis intingi; incredibile enim videtur, toties eadem nocte Christum cum discipulis cœnasse, præsertim, cum ea nocte gravissima essent illi negotia peragenda, ac pertractanda, cumque discipuli omnes mœsti essent, eo quod scirent, Christum ea nocte morti esse tradendum. Denique, quia esus agni ad ejus noctis refectionem sufficiens videbatur. Sed nihilominus, si attente legantur, et ad improprios et incongruos sensus non traducantur, quæ Joannes scribit c. 13, negari non potest, quin Christus cum discipulis post lotionem pedum adhuc cœnauerit. Unde, cum ostensum sit, cœnam legalem fuisse finitam ante lotionem pedum, fit, cœnam usualem postea peractam esse, nam de mystica cœna Joannes nihil scribit, neque ad illam accommodari possunt quæ dicit. Assumptum patet primo ex illo verbo : *Cum recubisset iterum*, scilicet, post finitam lotionem pedum, quod proprie significat, iterum ad mensam sedere vel accumbere. Deinde, quod id fuerit ad comedendum iterum, patet ex verbis illis : *Sed ut adimpleretur Scriptura, qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum*. Quæ verba non sunt dicta a Christo, ut relata ex Scriptura, quia nullibi habentur illa verba in veteri testamento, sed dicta sunt ad significandum id, quod tunc fiebat; tunc ergo manducabat cum illo panem is, qui statim erat illum traditurus, et illo facto implebatur, quod Psal. 40 scriptum erat : *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*. Tertio, quia infra dicitur, tunc recubuisse Joannem in sinu Jesu; dicit autem idem Joannes infra, c. 21, se recubuisse in cœna super

pectus Jesu. Quarto, ex signo illo, quod postea dedit Christus, panis intincti; quia nisi actu comederent, non erat illud signum satis aptum et urbanum; neque verisimile est, mansisse ibi tanto tempore post cœnam, panem et jus aliquod; et ita omnes Patres, qui exponunt hæc verba, pro comperto habent tunc durasse cœnam. Denique, nisi ita dicatur, non possunt exponi commode alii Evangelistæ, qui dicunt, Christum inter cœnandum instituisse sacramentum hoc; quia, si prius omnino absolvit cœnam, et postea interposuit lotionem pedum, quomodo dici potest fieri inter cœnandum, quod post lotionem pedum factum est, si post illam nihil cœnatum est? Nec mirum est, tunc Christum cœnasse cum discipulis usu communi, tum quia unus agnus non erat tredecim hominibus sufficiens; tum etiam quia nihil sine causa omittere voluit, ex iis, quæ agere solebat; nulla vero tunc occurrebat causa, quia inter cœnandum instruebat discipulos, et non impediatur, sed potius occasionem et opportunum tempus expectabat patiendi. Ac denique fieri petuit, ut tam ipse, quam discipuli ea refectione corporali indigerent, ad sustinendos ejus noctis, ac sequentis diei labores.

6. *Quarta opinio.* — Quartus modus est, lotionem factam esse post inchoatam cœnam usualem et antequam esset finita. Hanc sententiam tenent aliqui graves expositores Joannis ex recentioribus, et fundantur solum in illo verbo Joannis : *Surgit a cœna*; inde enim colligitur, Christum non stando, sed discumbendo cœnasse, quando surrexit ad lavandos pedes; ergo signum est, illam non fuisse cœnam legalem, sed usualem, nam usitatus modus prændendi seu cœnandi eo tempore erat discumbendo, ut colligitur ex Esther 4, et Tob. 2; at vero in cœna legali, oportebat stare, tanquam paratos ad agendum iter, ut colligitur ex Exod. 12, et docet Gregor. Nyssen., lib. de Vita Moysis, circa medium, et significat Philo Judæus, lib. de Sacrificio Cain et Abel, circa med. Est hæc sententia probabilis, mihi tamen suaderi non potest, quia difficile creditu est, Christum interrupisse aliquam cœnam ad lavandos pedes; est enim hoc præter omnium hominum consuetudinem, et nescio quid habet inurbanitatis, cujus nulla ratio moralis vel figuræ afferri potest, quæ probabilis sit. Unde Chrys., hom. 82 in Matth., expresse dicit, Christum ante cœnam lavasse pedes discipulorum, et Judæ; quod necesse

est intelligi de cœna usuali, nam de legali non potest, ut dixi. Quod si quis velit intelligere de cœna mystica, a fortiori sequitur quod intendimus, nam hæc fuit post lotionem pedum, ut statim dicam. Deinde conjectura illa non est sufficiens, quia valde probabile est, Christum discubuisse in cœna legali. Primo, quia hoc significat Matth., Marcus et Lucas, dicendo, recumbentibus illis, accepisse Jesum panem. Secundo, quia in Exodo non erat præceptum standi ad comedendum agnum; cæremonia autem non præcepta non cadit sub obligationem, imo nec verisimile est fuisse additam, sed communi more solitos fuisse cœnare. Tertio, quia Amb., super 15 caput Lucæ, dicit, in cœna legali Joannem discubuisse in sinu Jesu cervice reflexa, quod non potuisset fieri, si starent. Et Chrysost., hom. 69 in Joan., dicit, Christum non prius lavasse pedes discipulorum, quam cum eis discubuerit, quod necesse est intelligi de cœna legali, ne contradicat iis, quæ dixerat hom. 82 in Matth., ut vidimus; et ita hanc sententiam tenent Jansenius, et Cæsar Baronius in Annalibus, in 34 anno, et alii; quamvis, etiam si admittamus stantes cœnasse agnum, dici posset, postea discubuisse ad cœnam usualem; prius vero, quam illam inchoassent, admonuisse fortasse Christum discipulos de mysteriis, quæ perficere antea volebat, et tunc surrexisse ad lavandos pedes eorum, cœna quidem instructa et parata, nondum tamen inchoata, accommodando expositionem Augustini supra relata, et ita etiam intelligi potest Chrysostomus ultimo loco citatus.

7. *Prima assertio.* — Restat igitur, ut verus sit quintus modus; juxta quem breviter dicendum est primo, Christum inter utramque cœnam lavasse pedes, finita, scilicet, legali, et nondum inchoata usuali. Hoc concluditur necessario ex dictis, et illius forte litteralis occasio fuit consuetudo illius temporis et regionis, in qua ante commune convivium hospitibus pedes lavabantur, quod non fiebat in cœna legali. Moralis autem ratio fuit, ut nobis Christus daret exemplum, sicut ipse dixit; figuralem statim reddemus.

8. *Secunda assertio.* — Secundo enim dicendum est, lotionem pedum factam esse ante cœnam mysticam seu institutionem hujus sacramenti. Ita docent, super Joan. D. Thom.; super Matth. Euthymius et Lyr., et alii expositores; expresse Damasc., lib. 4, c. 14; et idem sentit Augustin. locis supra citatis;

Ambros. et Bernard. statim citandi; quod non potest ex Evangelio aperte convinci; ostendemus autem statim, institutionem hujus sacramenti factam esse, vel inchoata cœna usuali, vel certe proxime ante illam, ex quo potest hæc assertio concludi. Ratio mystica seu figuræ est, quia illa lotionem pedum voluit Christus Dominus significare mundationem animæ, quæ ante sumptionem hujus sacramenti præmittenda est, ut docuit Ambros., l. de iis qui initiantur, c. 6, et lib. 5 de Sacram., c. 5; Bernard., in serm. de Cœna Dom.; Cyprian. etiam in serm. de Lotione pedum dicit, per illam significatum fuisse pœnitentiæ sacramentum; debuit ergo illa lotio præcedere, sicut pœnitentia, vel animi emundatio antecedere debet usum hujus sacramenti.

## SECTIO III.

Utrum hoc sacramentum institutum sit, postquam Judas a cœna discessit, vel illo præsentente.

1. *Status quæstionis.* — Quæstionem hanc attigit D. Thom. infra, quæst. 81, art. 2, sub alio titulo, An Christus communicaverit Judam; quam tractat etiam in 4, d. 11, q. 3, art. 2, et ibi alii Scholastici; sensus vero in idem redit; supponimus enim, si Judas adfuit institutioni, et communioni aliorum Apostolorum, etiam illi communicatum fuisse hoc sacramentum; quia peccator occultus non excluditur a publica communione hujus sacramenti, ut docet Eugenius P., statim citandus, et omnes Scholastici, et dicemus quæst. 80. Quod ergo nunc quæritur, est, an Christus sapienter expectaverit Judæ discessum ad tanti mysterii institutionem et communicationem, quam quæstionem hoc loco præmitto, quia est ad intelligendam sequentem, et totum ordinem cœnæ necessaria.

2. *Dux sententiæ.* — Prima ergo sententia est, fuisse Judam absentem, quando Christus instituit hoc sacramentum; ita Hilarius, can. 30 in Matth.; et Rupert., lib. 10 in Matth., in fine; et Theophyl., Matth. 26; Innoc., lib. 4 de hoc Mysterio, c. 13. Tatianus, in harmonia Evangel.; et habetur hæc sententia, apud Clementem, lib. 5 Constit., cap. 16, ubi aperte negat Christum communicasse Judam; citatur etiam pro hac sententia Hieron., lib. 2 contra Jovinian., et ep. 256, quæst. 2; et Dionys., c. 3 de Ecclesiast. Hier., in princ., cujus verba e Græco reddita hæc sunt : *Et ipse auctor symbolorum justissime separat*